

- A** Certe superuacaneum est, velle, quæ aperte dicta sunt, declarare. Procedens enim est (inquit) quod palam ipsum esse, & subsistentiam spiritus significat, magis quod aliquod aliud non men, plerumque secundum nos, quod hoc nomen solum subsistentie spiritus appropinquat. Cum igitur per filium eum procedere dicat, per filium eum subsistentiam habere significat, & per hoc excludit Theodoriti errorem, negatis per filium subsistere spiritum sanctum, ita ut nullum non bis inde relinquatur subsidium. Si, Theodorito hæc coram generali Ephesino concilio dicente, sacrum concilium tacuerit, quod putamus pro nobis hoc facere, quasi concilium tacendo verbis Theodoriti consenserit. Nam cum Theodorus utriusque negasset, nec ex filio, nec per filium subsistere spiritum sanctum asserens, ex dictis tamen horum sanctorum, & si non ambo, alter saltem videlicet, quod per filium subsistat, palam probatum est, cum omnes doctores, & non minus, qui post Theodorum fuerunt, ex patre per filium procedere spiritum sanctum, clara voce prædicerent. Tum Iohannes Damascenus, & Maximus viri utriusque doctissimi, ita etiam sanctissimi, tota item generalis septima synodus per sanctum Tharasiu patriarcham Constantinopolitanum credere, dicentem in spiritum sanctum, qui ex patre per filium procedit, deus quoque ipse esse cognoscitur. Alii vero ex deo per filium, esse videlicet spiritum ex deo per verbum, & ex patre per filium procedere, quæ omnia idem atque spirari significant, & esse, & subsistentiam habere. Ex quibus pater, quod Theodorus errorat quo ad alteram partem ad minus, eam videlicet, qua negat spiritum subsistere per filium. Patres tamē concilii tacuerunt, eo etiam hanc partem negante, ita ut eorum silentium non debeat nobis testimonio esse, quod nec ex filio, nec per filium spiritus habeat subsistentiam. Quod enim per filium subsistat, testant, qui eum per filium procedere dixerunt. Si quidem procedere, etiam secundum nos, spiritum subsistere significat. Cum tamē longo post Theodorum tempore fuerint, & audierint quidem eum hæc dicentem, sciuerunt autē, sacram synodum ad hæc tacuisse, attamen non iudicarunt eum esse sequendum (Theodorito enim & quod ex filio, & quod per filium subsistat spiritus, negante, beatus Iohannes Damascenus quod ex filio ipse quoque negat) qua vero ratione paulo post explicabimus. Quod aut per filium procedat, id est, subsistat, hoc ut verum ponit. Quod si quis illud nobis opponat. Solus pater est causa Iohanne Damasceno authore, item quod Maximus in epistola ad Marinum de Romanis ait, quod scilicet non ponat filium causam spiritus esse, quæ ad hæc Latini dicunt, ego non dicam, quod scilicet, nec illud Damasceni omnibus in eius libris inueniat, quod epistola Maximi non est eius, cum nec ubique, nec in antiquioribus codicibus, nec inter opera eius inueniat, quod quoniam nonnulli nostrorum etiam eam non esse suam putant, hæc (inquam) non dicam, sed conceda hæc illos esse doctores, & verba & sententias. Dixisse tamē eos, hæc ego dicam: ne quis principalem causam spiritus putet filium, quasi non a patre ceperit, ut per spiritum sanctum procedat. Communis enim linguæ Græcorum usus, cum, per, propositionem, ex, principalem significat causam, & Damascenū coegit non ex filio, sed per filium dicere procedere spiritum sanctum, & Maximum quod a Romanis dicitur ex filio procedere, idem significare sentire, ac si dicerent, per filium procedere. Quamquid enim (ait) ex filio spiritum sanctum prodire Romani asserant, præpositio autē, ex, principalem significat causam, non tamen ideo quia dicunt ut talem causam significarent filium esse, Damascenus etiam, ex filio quidem spiritus (inquit) minime est per filium autem conceditur. Solus namque pater est causa talis, videlicet qualem ipsa, ex, significat. Quare talem quidem causam negant filium esse, propositionem autem, per, attribunt filio, per quam simul eum cum patre causam suam principium spiritus sancti esse significatur. Quia enim (inquit) Maximus per eum prodit spiritus sanctus, id est, ut alibi dicit idem doctor quia per eum procedit, ideo a Romanis ex filio prodire dicitur, & Damascenus, ex patre per filium procedit, quæ omnia aperte filium etiam significant causam suam principium esse, & tale principium qualis est pater, cum nihil imperfectum apud filium sit, quamquid non principalem, nec propriam, ob hoc enim cauentes, negant filium causam esse. Et quia omnia, quæcunque filius habet, a patre habet, & ad eum omnia referuntur, quemadmodum & sanctus Basilius in octavo ad Amphilochem capitulo ait, ideo inquit dominus ad patrem, mea omnia tua sunt, quia ad eum principium creaturarum refertur. Et Nazaneus in sermone ad Aegyptios: Deus (inquit) tribus in maximis consistit, causa, creator, & percipiente, patre videlicet, filio, & spiritu sancto. Hæc autem dicebat, non quia omnino negabat filium, & spiritum sanctum esse principium suum causam creaturarum (hoc enim impium est dicere) sed quia patrem solum simpliciter & principaliter causam esse sciebat, & ab eo filium, & spiritum

alias, processionem

Loco dubio

alias, ipsam

Iohan. 17. b